

Act. 15.

64.

29

27b.

DE SENTENTIA
NOVELLAE CONSTITVT. I

ILLVSTRIS I.CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAЕ ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

A. D. III. OCTOBRIS AN. CCCCCCLXXVII

DISPVTABIT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS CREVTZER

L VBBENA L VSATVS

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA

29 A

MS

ANNESTUS
I. TUTHERODS BARTHOLOMEI

DEATONI
DANTONI



Mulier, cuius omnia bona partim dotis, par-
tim paraphernalium nomine maritus acce-
perat, triduum huic superstes matrem testa-
mento heredem scribit, damnatam dare
trecentos Lucio Titio. Ea hereditas ante, quam adire-
tur, Sempronio cessa est, qui, cum inter ea temporis bona
a defunctae marito relictā aeri alieno expungendo non
sufficere visa essent, die omnibus creditoribus eius con-
dicto nomen profiteri suum et petere eam hereditatem
omittit. Itaque metuens legati amissionem Lucius Ti-
tius trecentos, quos ipsi mulier testamento dederat, re-
petit e mariti bonis, caussatus propter ea, quod heres
voluntati defunctae non obtemperet, concedendam sibi

A 2

esse

esse petitionem illius loco. Quaerebatur, vtrum nouella constitutio I. Iustiniani imperatoris legatario prodefesse deberet, an qua alia actione vti posset in mariti mulieris legantis bona? Nemo dubitat, quin iure ciuili omne ius, quod testator habuit, legatorum et fidei commissorum causa tacite pignori obligetur. Eo igitur iure-constat legatario adita hereditate aduersus possessores rerum hereditiarum actionem hypothecariam dari. Sed species proposita obuenerat in Electorali Saxonia, vbi lex iudicaria ad tit. xxxxv. §. I. ius taciti pignoris abrogauit, nec edictum d. xxiv. Sept. an. ciccccxxxiv. promulgatum legatis illud et fideicommissis restituit. Erant vero, qui dicerent, nouellam constitutionem I. huc pertinere. Vtique enim ab herede destitui testamentum, ex quo non petatur hereditas intra tempus editiali citatione mortuae mulieris mariti creditoribus constitutum, nec legatarium expedire posse, donec heres a iudice sit admonitus atque annus ab ea admonitione elapsus, si interea dies actionis exeat, etiam si spes in integrum restitutionis supersit: quippe quod remedium extraordinarium negligentibus interdum subueniat, negligentiae autem necessitatem imponat nemini. Alii subsistebant, dicentes, si non adita videatur hereditas, nec se defunctae mater, quae cesserat, nec cessionarius pro herede gessisset, nullam excitatae legis nouellae, vt pote quae de destitutis testamentis nihil noui sanxisset, in ea specie vim fore; si aditio cedentis vel cessionarii aut alterutrius pro herede gestio probetur, posse legatarium actione ex testamento aduersus heredem vti, neque exceptionem deficien- tium bonorum hereditariorum profutaram esse here-di, qui bona testatrix vindicare neglexerit. Igitur ne hoc

hoc quidem casu nouellae constitutioni fieri locum, nisi doceat legatarius actionem contra heredem ob huius inopiam fore inanem. Hac conditione adscripta, cum et aliae rationes accederent, quas non attinet in praefenti enumerare, legatarius proximo mense Iunii apud Ordinem nostrum obtinuit, ut inter creditores mariti de bonis ab vxore illatis trecenti, quos illa legauerat, ipsis ex sententia nostra tribuerentur.

A quo tempore me valde sollicitum habuit ista novella constitutio prima, de cuius vero sensu inter eruditissimos interpretes nondum conuenit. Neque enim tam incuriosus sum, ut sententias facta que rarioris exempli facile obliuiscar, atque opportunitate altius penetrandi in difficiliores legum quarundam sententias intimae que iuris prudentiae adyta non vtar. Quod qui faciunt, magis sibi, quam reipublicae ac litteris natos existimo, et ab hoc forte hominum genere profecta esse videtur quorundam opinio, forensium rerum tractatione, qua ego quidem nihil ad augendam atque emendandam scientiam nostram fructuosius iudico, non acui iure consultantum ingenia, sed obtundi. Nouissime constitutio nem nouellanam I. tractauit CAROLVS FRIDERICVS ZEPERNICK, V. C. duabus dissertationibus *de testamenti substituti viribus* doctissime atque elegantissime scriptis, in quibus non modo omnem testamenti substituti historiam scitissime enarravit, sed plerosque etiam eius legis interpretes ante se, ut sunt in eo plurimae litterae cum accurata iuris civilis cognitione coniunctae, diuersos que virorum doctorum de illius vero sensu et visu hodierno sententias opportune recensuit. Verum ut longum iter ingredia-

mur, quod vel memoraturis tot varias aliorum opinio-
nes, nedum eas partim confutaturis, conficiendum fo-
ret, haud patitur huius temporis ratio. Itaque nuda
oratione, absque omni litterarum ornatu, nostram de
Iustiniani in ea lege nouella consilio sensu que mentem
aperiemus, qua intellecta nemini dubium erit, quin dica-
mus et contendamus, hodieque ex ea constitutione actio-
nem dari oportere.

Nempe quae primaria controversia est, utrum de te-
stamentis vere destitutis, ex quibus nemo heres esse vel
possit vel velit, an de poenis modo volentium legatarios
et fideicommissarios defuncti liberalitate fraudare, atque
omnia bona a testatore relicta aut certe maiorem eorum,
quam ex testamento licet, partem cupientium sibi habe-
re, in ista Iustiniani lege agatur, de ea quidem sic statuo,
ut de testamentis vere destitutis nihil constitutioni inef-
fe, caeterum unam solam speciem proponi existumem, in
qua scriptus heres ob voluntatem defuncti non adim-
pletam ab hereditate repelliri in eius que locum a nomina-
tis in lege personis succedi possit, scilicet cum adiit scri-
ptus hereditatem, certe intra annum deliberationis non
repudiavit, aut etiam pro herede fesserit, nec praefitit,
quanquam ex iudiciali decreto admonitus, a testatore
ipso imposta. Nam constat, *I. XXII. §. XIV. C. de iure
deliberandi tempus deliberandi de adeunda vel repudian-
da hereditate non impetrari plus quam annale, quo clauso
heres, qui non repudiavit, hereditatem adiisse fingi-
tur.* Siue igitur vere adierit siue adiisse fingatur aut pro
herede se fesserit, quibus ex testamento aliquid ab eo
praestari debet, illi eum, ut voluntati defuncti obtempe-
ret, conuenire et ut ex decreto iudicis moneatur, obti-
nere

nere possunt. Quod si intra annum post aditionem, (haec enim expressa legis verba sunt cap. IV; initium autem anno datum admonitio ex judiciali decreto;) igitur si intra hunc annum heres legata, fideicommissa, mortis caussa donata, quorum dies venit, non soluerit, auferatur ipsi tota hereditas, sola parte legitima, quam iuris civilis necessitate a testatore consecutus sit, atque huius etiam nouellae legis auctoritate retineat, excepta, et primum substituto sit adeundi potestas, aut si substitutus ipsi nemo sit, qui adire possit et velit, ius accrescendi in coheredibus, qui adierint, neque tamen aliter, nisi cum onere, restituitur: deinde, coherede deficiente vel hoc lucrum non affectante, fideicommissarius per vniuersitatem sue vnuis sue ex pluribus maiorem partem habens: hoc etiam nolente legatarii et fideicommissarii, quibus res singulares relictæ sunt, ita quidem, ut qui magis honoratus est, alteri praefreratur: post hos serui in testamento manu missi secundum ordinem nominationis et scripturae: his quoque nolentibus heredes ab intestato non scripti, ratione edicti successorii habita, attamen ex consilio legis, ut, quae disposita sunt a morientibus, impleantur, excluso eo, quem testatori iure exheredauit: et hi quidem omnes, praestita prius cautione ultimam testatoris voluntatem, cui lex non obserstat, impletum iri, praeter ea plures aequalis fortunæ, id est, aequæ honorati fideicommissarii vel legatarii, pariter que plures non scripti heredes eiusdem gradus ab intestato, nisi quis eorum nolit, coniunctim: denique, his omnibus omittentibus, e quibus etiam coheredes et fideicommissarii et legatarii hereditatem vel partem hereditatis commissam indigno que ob iussa testatoris non facta heredi auferendam vindicare non magis, ac sub-

VIII

substituti, coguntur, extraneus quilibet simili cum cautione,
actumiri, quod testator legitime voluit: tandem cum
nemo preferri cupit, etiam fiscus, immunis quidem ille
ab ea satisfactione ex generali dispositione l. l. §. 18. P.
vt legatorum vel fideicommissorum seruandorum cauſa caue-
atur, sed oneri a testatore imposito perinde obnoxius,
ad successionem in locum eius heredis, qui intra annum
post aditionem admonitionem que iudicis relictā a testa-
tore non praestitit, admittuntur sic fere, vt ex antiquis
legibus, quarum auctoritate vtitur imperator ad noui iu-
ris rationem tradendam et commendandam, quibus li-
bertatum seruandarum cauſa bona addicebantur, aditio-
nis aut pro herede gestionis ius habuerunt, et tanquam
heredes omnia gerere potuerunt siue conuenti, siue con-
venientes. *Nou. l. cap. I. §. IV. const. XV. C. de testam-
manum.* Sic Iustinianus rationem inuenit, vt morienti-
um voluntates ab iis, qui adeundo hereditatem vel pro
heredibus gerendo se obstrinxissent, eo magis adimple-
rentur. Nam hoc vnum et solum fuit huius nouae legis
consilium, tantoque opportunior et magis necessaria vi-
sa haec constitutio, quanto clarius intelligebat Impera-
tor et praeuidebat, cum cap. eiusdem legis II. etiam Fal-
cidiae detractionem prohibendi testatoribus ius fieret,
fore multos in legatis et fideicommissis soluendis tardio-
res morosiores que, multos que adituros esse heredita-
tem, non vt voluntati legis obtemperent, sed vt de die
in diem differentes legatorum solutionem, causando, bo-
na hereditaria non sufficere, haec tandem ipsa bona ante,
quam legatariis, fideicommissariis, mortis cauſa donata-
riis satis fiat, disperdant. Itaque cap. IV. prospectum
est, ne tempus fiat longum in talibus quaefitionibus, sed vt
eius

eiusce modi lites cum herede super relictis a testatore post aditionem hereditatis aut pro herede gestionem intra annum ab admonitione ex iudiciali decreto inchoandum finiantur. Quae sane, si in ea nouella lege de testamento desstituto ageretur, disponi non potuissent. Et quomodo caetera legis verba cum ista aduersariorum opinione concilie? Saepissime auferendi verbum adhibitum, quo nunquam veteres de hereditate repudiata vtuntur. Deinde sub finem capitii I. criminationibus nouae legis ita obuiam itur: *nullus hanc legem duram habeat, tanquam RELICTIS PRIVATVS, sed considerans, quia omnibus hominibus terminus vitae est mors, et non solum ab aliis ipse se percipere contempletur, sed cogitet, quia et ipse aliis moriens imperabit et si non huius legis mereatur auxilium, nihil horum, quae omni studio disposuerat, ad effectum perducer.* Integra verba exscripsimus, vt pote quibus legis causam et rationem omnem, nisi nos omnia fallunt, ipse Imperator perspicue profitetur. Quis vero se relictis priuatum dicat, qui hereditatem vltro repudiauit aut quo-cunque titulo, cum onere tamen, a testatore relicta capere noluit? Nam etiam in legatario et fideicommissario et mortis causa donatario, a quo dari aliquid aut fieri testator voluit, nisi legitimae eius voluntati obtemperent, eadem poena statuitur: *eodem ordine in occasione ablaturum rerum seruando, et inchoante quidem a substitutis legatariis, terminante vero in fisco.* Sed vt prohibitionem Falcidiae detrahendae iustiniianus permitteret, procul dubio ideo factum est, quod minorem eo tempore ad rem publicam utilitatem afferre, quam olim, lex Falcidia videbatur, non amplius vicesima testamentiarum hereditatum, e quibus solis illa primum obuenerat, in fiscum Principis in-

ferenda, adeo que parum curantibus imperatoribus,
 vtrum adiret heres, an repudiaret, nendum villam testa-
 mento sic destituto vim, nisi clausula, quam vocant, co-
 dicillaris inesset, villa, quam sciam, lege facientibus.
 Quae vero interpres quosdam doctissimos in transuer-
 sum egerunt, verba: *si non adeant hereditatem, si nullus
 horum, quorum testamentum mentionem fecit, voluit adire
 et quae reliqua eius generis cap. i. nostrae legis usurpan-
 tur, omnia et singula non ad heredem bonis hereditariis
 priuandum, sed ad substitutos, coheredes, legatarios,
 fideicommissarios pertinent, in quibus, ut p[ro]aeclare c[on]v-
 iacivs expos. eius nouellae demonstrat, ea poena locum
 non habet.* Denique quod cap. ii. scribitur: *si testator
 expressim designauerit, non velle heredem retinere Falci-
 diam, necessarium esse, testatoris valere sententiam — aut
 si heres parere noluerit, eumquidem recedere (αναχωρησαι)
 ab huiusmodi institutione, locum vero fieri substitutis, et co-
 heredibus et fideicommissariis et legatariis et seruis, et iis,
 qui ab intestato sunt, et aliis secundum prius a nobis inuen-
 tam in talibus viam, quis, ratione prioris dispositionis
 habita, ad quam haec breuiuscula εποιει refertur, non opido
 sic intelligat, vt recedere ab institutione Imperatori ni-
 hil aliud sit, nisi de hereditate iure institutionis adita ite-
 rum discedere vel de hereditariis bonis depelli. Igitur
 plena sunt omnia, nec licet, si quid video, dubitare, de
 testamentis destitutis non sensisse Iustinianum, cum no-
 vellam legem i. composuit. Cur vero ea lege vti non
 possint, quibus quid ab herede aut legatario praestandum
 reliquit testator, et quidni iudices possint et debeant
 secundum eam decernere ac refractarium vel morosum
 heredem, legatarium, fideicommissarium, mortis causa
 do-*

donatarium ex eo decreto admonere, denique rite admonitum post annum iubere ab hereditate recedere, ego quidem non video. Valeat vulgata pragmaticorum regula: quod non abrogatum est, cur stare prohibetur. Tametsi enim legatarii et fideicommissarii mortis causa donatarii extra Saxoniam omnino hypothecaria atque in his terris beneficio legis iudicariae repetitae praelectionis ad tit. xxxxv. §. iii. vti possint, nusquam tam aut huius, aut alterius ex nouella lege i. actionis electionem ipsis hodierno iure ademtam esse reperias. Illud in confessio est, Falcidiae detractionem hodieque a testatoribus prohiberi posse, sed, quae eiusdem Nvellae cap. ii. de conuocatione creditorum legatiorum et fideicommissariorum ad confectionem inuentarii constituta sunt, moribus nostris non obseruari. v. BERGER.

Oec. Iur. lib. ii. tit. iii. §. l. n. v.




IV

00 A 6448

ULB Halle
002 928 140

3





64. 29 276.
DE SENTENTIA
NOVELLAE CONSTITVT. I

ILLVSTRIS I.CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAIE ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

A. D. III, OCTOB RIS A. N. 1585

DISPV TABIT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS CRETZER

L VBBENA L VSATVS

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA